

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Ioh. Levsdeni Compendivm V. Testamenti
Hebræo-Chaldaicum**

Leusden, Johannes

Halae Magdeburgicae, 1736

VD18 12275484-ddd

Einleitung

urn:nbn:de:gbv:45:1-16927

CONRADUS ab ECK, 4. Dec. jam Pastor in Eversdingen.
HENRICUS a DEVENTER, 9. April. Anno 1673.

ἀλλὰ οὐκ ἐν ἀγίοις.

GUILIELMUS CALEBSE, 10. Maji.

GUALTHERUS SMITH, Scotus, 25. Febr. 1680.

JACOBUS BEST, 8. Oct. 1684. jam Pastor in Eerswout.

ANDR. ESSENIUS, Nepos Andreae Essenii, Collegæ quondam conjunctissimi, & S. Th. Prof. meritiss. 14. Feb. 1685.

Mediante hoc Compendio, Tyro facili via & methodo, spatio trium mensium, ad cognitionem omnium vocum totius Vet. Test. quæ sunt numero 5640. pervenire poterit, si modo singulis diebus absolvat duas paginas cum dimidio. Nam hanc editionem vides divisam per dies LXXII. & singulis diebus præfixum numerum vocum inibi comprehensarum. Si quis breviori vel longiori tempore hoc Compendium absolvere velit, ille hos dies pro captu & libitu vel geminet vel dividat. Hoc ausim dicere, cui Compendio evolviendo antea DD. Studiosi tres quatuorve menses impendebant, illud jam facilius & commodius spatio duorum mensium evolvi poterit. Placuit igitur in gratiam DD. Studiosorum, & ex petitione multorum, præcipue DD. Hungarorum, hanc tertiam editionem faciliorem & auctiorem (ut Lectores a molesta Vocum & Radicum annotatione & in chartam conjectione librarem) in lucem emittere. Hic qualibet pagina vides Radices (præfixa litera (r) Radicem denotante) & Voces omnes in simplici forma subjectas. Voces extantes in Textu, & habentes literas præfixas aut affixas, aut in forma constructa, vel propter varias Conjugationes diversimode mutatas, hic in simplici forma, prout in Lexico Buxtorfii extant, inveniuntur; addito, in qualibet pagina, numero vocum inibi annotatarum.

Forte judicabis, Latinam significationem singulis Radicibus & Vocibus infra scriptis esse addendam. Sed scito, significationem omnium Vocum & Radicum haberi in versione Latina. Quando infra notatur vox unica, ejus significatio habetur supra, & quando vox geminata proponitur, prioris vocis significatio extat ibidem, & ipsius Radicis alibi in hoc libello: adeo ut omnium Vocum & Radicum significatio in hoc Compendio contineatur. Hæc sunt, benevole Lector, quæ Te hoc tempore scire volui. Vale.

COM-

Nonnullæ voces, vulgo Cethib vocatæ, superne asteriscis notantur; qui indicant voces illas irregulariter in Textu Hebraico esse scriptas, & in margine Bibliorum Hebraicorum alias voces regulares, Keri nominatas, esse annotatas vel annotandas: e. g. Prov. II, 3. occurrit וְשִׁירָם pro וְשִׁירָם &c.

Quia distinctio Librorum, Capitum & Versiculorum in omnibus Bibliis non est eadem, elegi eam distinctionem, quam Biblia Hebraica, sub meo ductu per Josephum Athiam anno 1667. Amstelod. edita, observant.

Nolo per hoc Compendium e manibus Studiosorum aliorumque eripere & excutere Textum Hebræum; sed volo eos hortari & rogare, ut lecto Textu Hebraico, hoc Compendium secum sumant, quasi Vade mecum, in eoque voces rariores, difficiliore, & semel tantum occurrentes sæpius legant relegantque.

Versus centum & duos Chaldaicos Danielis & Ezræ asteriscis distinximus, ut primo intuitu distingui possent. Vide pag. 163. & sequentes.

Sequitus sum in Vocibus & Radicibus annotandis Concordantias & Lexicon Buxtorfii; & quæ voces ibi exprimuntur, eas & nos tali modo expressimus. Paucissima Nomina Propria & Patronymisa, in Lexico explicata, nos etiam annotavimus. Cetera Nomina Propria vide in Onomastico nostro Sacro.

Ut Eruditorum iudicio hoc Compendium subicerem, placuit quedam Specimina editionis primæ, & nonnulla editionis secundæ & tertie publico examini Academico subicere, quæ sequentes D. Studiosi, fere Ultrajectini, publice defenderunt: scil.

DANIEL a VIANEN, 27. April. Anno 1672. jam Pastor in Kamerick, qui multum in adornanda prima hujus Compendii editione me adjuvit.

CONRA-

JOHANNES LEUSDEN

Lectori Benevolo S.

Forte dices, B. L. videns tertiam et jam etiam quartam Compendii Biblici editionem, tam facili methodo propositam, me nimis facile reddere studium linguarum, meque etiam vulgo præbere occasionem addiscendi linguam Hebraeam.

Fateor me studium hoc facilitare, & in eo totum esse, ut hoc magis magisque faciliorem; imo si possem decuplo facilius reddere, me non esse omissurum. Quia studium linguarum superioribus temporibus ob defectum adminiculorum tam difficile fuit, & fere inaccessum, ideo inter doctos paucissimi, & inter plebejos vix ulli operam linguis dederunt; sed hoc tempore in tanta luce linguarum & docti & plebeji pariter Hebrææ lingue operam dant; & ad studium Hebraicum promovendum multum conferet hæc tertia aut quarta Compendii editio.

In hoc Compendio quælibet vox Hebræa tantum semel occurrit, nisi ad complementum commodioris sensus iterum repetatur. Et ut scires, quanam voces in singulis versibus annotentur, & quanam tantum ad supplendum sensum addantur, ecce hoc te docebit diversitas characterum Latinorum. Illæ enim voces Hebrææ, quæ in Latina versione Romanis literis imprimuntur, sunt in illo versiculo annotatæ; e contra voces Hebrææ, quæ Italicis sive cursivis, uti vocant, literis sunt expressæ, eæ tantum sunt additæ ad supplendum sensum.

Quia in V. T. extant voces 1490. quæ tantum semel (rarissime bis vel ter in eodem versu) occurrunt, placuit eas, ut facilius memoria insingerentur, literula (a) distinguere.

Non

existimo, nec laude mea indigere Celeberrimi Viri laborem. Si quis enim ex consilio Cl. Auctoris eo recte usus fuerit, vtilitatem certe capiet non contemnendam. Hoc tantum caueant studiosi Iuuenes, ne hic subsistant, aut linguam S. vel Fontes se exhaustisse putent, dum ita initium huius laboris faciunt. Prima hæc rudimenta & tirocinia sunt, præsertim iis, quibus ætas vel inopia ipsum Codicem Sacrum adhuc denegat; vel etiam ex hoc Compendio, quasi e tabula, vno veluti obrutu vocabula repetantur, quæ per plures libros dispersa memoriam facile subterfugiunt, nisi singulari studio obseruentur. Semper autem connitendum eo est, vt *Epistolam omnipotentis DEI ad creaturam suam* (quod B. Augustinus olim de scripturis dixit) integram legant, discant & intelligant, qui saluberrimum huius laboris fructum maturum & solidum expetunt.

Ceterum de *versione latina* hoc obseruandum, eam non pro eruditis & doctis, sed pro tironibus adornatam esse. In qua etsi aliquid interdum desideres, neutiquam tamen eam reprehendendam esse censemus. Aliter enim circa difficiliora textus sacri versatur, qui discere incipit; aliter qui assidua Fontium lectione & solidam cognitionem nactus est, & iudicium habet ipso usu subactum.

Plura non addimus: si quid enim restet dicendum, id ipse Cl. Auctor dudum in sequente præfatione exposuit. Itaque vale, Ben. Lector, atque his adminiculis sic vttere, vt per certam S. Scripturæ notitiam ad CHRISTUM peruenias, & vera fide, spe ac charitate in illo conquiescas. Οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεὸς, καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος. Scrib. in Acad, Frid. ix. Cal. Aprilis cix dccc iv. IO.